



**Commentarivs Pavli Bernriedensis, Antiqvi Scriptoris, De  
Vita Gregorii VII. Pontif. Max.**

**Paulus <Bernriedensis>**

**Ingolstadii, 1610**

XLIV. De conuentione Pauli, & Gebehardi, ac Herlucae in Beronicæ, &  
expreßione prædicti responsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](#)

domi, forisque sociatus, & apud eam protinus, tanquam  
in spiritu praeuisus, inuenit gratiam: perrexit autem prae-  
ter voluntatem meam: quoniam separationis consili-  
um capessebam. Nimis enim grauatus eram Ratispo-  
nensium Clericorum infestationibus, qui me, velut au-  
dorem molestiarum suarum, odio habebant, & pro-  
pter irreprehensibilem eius vitam, & linguam veridi-  
cam. Vix ergo, & tardè solitariam adeptus Herlucae cō-  
uentionem, rogaui eam, quatinus diuinam mihi pre-  
cibus suis perquireret voluntatem. At illa vigilantius  
orans, subito vidit sibi approximare Beatum Laurenti-  
um comitante B. Wicterpo, audiuitque dicentem: ad-  
hoc nolo te discessio[n]is consilium dare. Hoc autem dixi-  
se B. Laurentium latuit me usq[ue] ad quartum decimum  
annum.

XLIV. Tunc enim & predictæ societatis biga quin-  
ti Heinrici persecutione Ratispona depulsa, & Herluca  
sceleratorum rusticorum furoribus ab Heptatico de-  
cussa,<sup>b</sup> conuenit in Beronica; egoque retractans, quod  
firmiter mihi dissuasisset prænotatam disunctionem,  
& nullam reddidisset rationem, supplicau[i] ei, usque ad  
predictæ visionis expressionem: sponte vero sua nar-  
rauit, quod subiungo.

XLV. Dum forte oraret pro quodam familiari suo  
in aduersitatibus posito, quo citius eum D E U S cle-  
menter eriperet ex hoc mundo, apparens ei Beatus Lau-  
rentius subintulit: Oportet cum prius maior apati.

XLVI. In sequenti die rursus oranti, apparuit sape-  
dictus Wicterpus Episcopus, & velut exponens, quod  
pridie dixerat B. Laurentius, præsignati hominis repre-  
sentavit imaginem talia patientem, qualia & leguntur  
de Iacobo Interciso, & referuntur de<sup>c</sup> Theodomaro lu-

Z. 2 uau-

Paulus multa  
passus est quod  
schismaticis  
Henricis quar-  
to & quinto  
Regibus, seu  
tertio & quar-  
to Imp. adha-  
rere nolle.  
a Videatur hac  
bocula delen-  
da.

Pellitur Paulus  
lus cum Geb-  
hardo suo Ra-  
tisbona.  
b conuenimus.

c De hoc in Ga-  
ta Greg. VII.